



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

Provincia Avstria. Nostrorum numerus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66514)



Philippus frater in Italiã profecturi sibi e So-  
cietate duos adiunxerant. in Templo nostro  
publicè sumpserunt Eucharistiam, neque vl-  
lum admiserunt comitem, qui non se prius le-  
uauerit sarcina peccatorum.

# PROVINCIA AVSTRIA.

Nostrorum numerus.



Abemus in Austria octo do-  
micilia, socios paulo plures tre-  
centis. Vienna duos & sexagin-  
ta. Græcij sexaginta: in Brunen-  
si domo probationis vndequin-  
quaginta. Olomucij duo de quadraginta. Pra-  
gæ vnum & triginta. Thurocij, & in Transyl-  
uania sex supra viginti. Quinque minus Crū-  
louiæ. Comotouia tredecim. In missione Vra-  
tislauiensis quatuor. Illa omnia collegia sunt  
Bruna excepta. Vita functi quatuor. Adiun-  
cti noui circiter viginti; ex Olomucensibus cō-  
gregationibus duo, ex Pragensi Collegio tres,  
ex Comotouiensis vnus, ex Crumlouiensis qua-  
tuor; inde sex in alias ingressi familias. &  
meditatur societatem probata patientia, at-  
que fortitudinis adolescens. quoniam triennio  
ante



ante desertis castris paternis transierat ad catholicos, diuturno bello graues vexationes pertulit à domesticis. sed tamen sua constantia vicit aduersariorum improbitatem. vt hostiam Deo pro parta victoria immolet, suum ipsum caput Societati deuohet. Factus hoc sacrificio, & ipsa pugna fortior, suscipit maius bellum, & periculosius, illudque ingenue patri denunciat, dum suum consilium subeundi religiosi ordinis impavidus aperit. nae pater excandet; sed iram altius premit pectore. versat omnibus artibus adolescentem. vbi ex omni parte constantem in consilio perspicit, iamque meditari fugam intelligit, amens furore pugnis, & calcibus ora prostrati fœdat atque contundit. hoc præludio furoris in miserum effuso, matre in crudelitate socia, atque ministra vestibus omnibus exiit, statutus tenerum adolescentem flagris concidere, vel vsque ad mortem, vel donec fidem extorqueat, qua iurando se ab incepto destitutum affirmet. atrox spectaculum. carnifices filij parentes tormenta admonent, vt à virtute, vt à Deo diuellant. non constantia iuuenis, non sanguine, qua nigrescente, qua erumpente leniuntur. à verberando prius defatigatio, quam misericordia reuocat. Sed dum vires tantisper quiescendo recolligunt ad prælium secundum atrocius; adolescens non sine Dei nutu, atque ope, profilit in viam ex altissimo loco, detrimento

mento



mento nullo, periculo quidē maximo: & trans-  
uolat ad Collegium, nullo vestitu, nullo orna-  
tu, nisi vibicum & sanguinis, quod gratis-  
simū Diuinis oculis, humanis admirabile in  
carne filij paternæ manus effinxerant. Vra-  
tislauia quoque, vbi tres virgines dicatæ  
Deo; adolescens, qui aspirat ad societatem, ac-  
cusatus à matre hæresis desertæ crimine; ra-  
ptatus ad tribunalia Prædicantium, magna  
discrimina subiit; sed reportauit ex omnibus  
gloriam.

### Quoddam pœne miraculum.

**A**fficitur gloria Deus, sū seruatorum eius  
labores enumerantur, & crescit labo-  
rantibus animus, cum aliqua ex parte respon-  
dere opere fructus ostenditur. hic solum nego-  
tium est in conseruāda fide orthodoxa, in euer-  
tenda hæresi. res agitur priuatim, ac publice,  
administratione sacramentorum, colloquiis, di-  
sputationibus, concionibus, quas singula pro-  
pe collegia diuersis linguis, quaternas, quinas,  
& senas interdum habent. præsto est laboribus  
nostris Deus Optimus Maximus, suamque  
opem rebus persæpe indicat, quæ non longissi-  
me à miraculis absunt. prætereo multos, qui  
cum spectris varijs vexarentur à dæmone, hæc  
vel illam formam induto, sumptione Eucha-  
ristiæ,



vultu, sacra confessione, lustrali aqua liberati  
 sunt, illoque signo moniti de vera religione co-  
 gitare cœperunt. Rusticus noster die veneris  
 negotij causa hæreticum villæ ministrū adiit.  
 erat in mēsa opipare sane apparatus carnibus.  
 iubet ille assidere hospitem, vt irridendū pro-  
 pinet compotatoribus: quippe catholicum in-  
 uitat ad carnes: cum ille constanter abnueret,  
 & se, eo die arceri ab ijs religione diceret, ar-  
 ripiunt risus materiam, vrgent, sollicitant, ri-  
 su, cachinnis, atq; temulentis clamoribus ad-  
 mouent ori, intrudunt prope in oculos. tum  
 egregius minister magnum bolum delicatis si-  
 mæ carnis arripit, rusticum nomine appellat,  
 & in eius ludibrium cunctis intentis ad spe-  
 ctaculum manum attollit, ac deglutiturus  
 pandit impurissimas fauces. non adhuc esca  
 erat in ore ipsius, & ira Dei descendit super  
 eum. hefit aperto, atque hianti ore. nullo co-  
 natu, nulla vi coniungi iterum maxillæ po-  
 tuerunt, quas Deus disiunxerat. perducitur  
 Vratislaniã, frustra adhibet chirurgos, alios-  
 ue medicos; dumque magni fiunt ad rem no-  
 uam concursus; ille, qui contra religionem ca-  
 tholicam os aperuerat, & ore apertissimo ver-  
 bum exprimere nullum poterat, eo miracula  
 predicabat aptissime fidei veritatem, in eius-  
 que testimonium os habebat apertum inuitus.  
 Non ab simili modo, funestiore exitu, petulans  
 muliercula inter catholicos immorans die sab-  
 bati,



bati, vt primum carnis bolum in os ingessit,  
extincta repente in terram concidit.

## Traducti ad veram Religio- nem.

**C**Rumlouij repositi in gremio sanctæ Ec-  
clesiæ oëtoëcim, Comotouie quindecim  
supra quingentos, Consul primas, quique ce-  
teros dignitate, ac potestate præcedunt. horum  
auctoritate ita excitati ciues, etiã quos sub-  
urbia complectuntur, vt certatim verbo scri-  
ptoque promiserint se certo tempore præeun-  
tium secuturos exemplum. Loci Dominus ex  
hoc progressu religionis tantam voluptatem  
hausit, quantam animo continere non potuit,  
Te Deum laudamus solemni symphonia de-  
cantari, pulsari campanas, bombardas explo-  
di, & quasi de hæresi debellatum esset, dari pu-  
blica letitiæ signa mandauit; quippe qui hoc  
vnum habebat in votis, hoc vnum diu noctu-  
que versabat animo, eamque ob causam nõ mo-  
do posthabuit magna sua emolumenta, spreuit  
ingentem vim auri, fecit largitiones, dedit  
immunitates, oppida ita deuinxit, vt futuri  
imposterum heredes iure cadant hereditatis,  
si in illa aduehi religionem discrepantem à  
Romana permittant; sed multa præstitit di-  
gnissima, quæ commemorentur à nobis, nisi  
insti-



institutum esset tantum persequi omnino propria Societatis. Praga Lutherum detestati sexaginta. abiuravit publice quidam, qui in nonnullis Academijs magistrum, & concionatorem egerat in Saxonia. suo exemplo labefecit pertinaciam plurimorum, euertit multorum. Graeci sex & viginti, Brung septem supra triginta, Olomucij quadraginta. Caeteros omnes antecelluit Philippi Melanctonis discipulus. maximam partem aetatis (erat annos natus quinquaginta) consumpserat in praedicanda, atque disseminanda Lutherana doctrina, de qua dubitare tandem cepit: cum toto illo tempore neque animi tranquillitatem, nec solidi quicquam inuenire potuisset in ea, quam singulis oppidis a se ipsa diuersam, & in eodem oppido singulis propè annis immutari videbat. e Saxonia Olomucium appulit. eò magis fulgorem constatae catholicae admiratus, quo ad illam est è maioribus, atq; diuturnioribus tenebris traductus. execratus in templo frequenti populo Lutherum est. iamque nititur quantum exhibuit linguam suam seruire iniquitati ad iniquitatem, tantum nunc seruire iustitiae in sanctificationem. Vienna quoque leuitatem Lutheri cognouit cum alijs sexaginta minister vnus: nec non puella nobilis, quae cum diligentissime à parentibus in Lutheranismò, & in odio catholicorum educaretur, nescio quo casu, (si casu licet appellare, quod

summa



summa prouidentia factum est) in templum nostrum ingressa, dum curiosius cum admiratione munditiem, ornatum, ceremonias, cuncta rimatur, subito imbre lachrymarum oborto, conuertit ad se omnium matronarum oculos. quærunt gemitus causam. quia, inquit, hæc illa religio (intimis agnoscō sensibus) ad quam Deus me pænæ ab infantia, quadam animi propensione, & stimulis cælestibus allexit; sed completi, aut saltem audire per domesticos impostores nunquam licuit. quo audito iubent eam bono esse animo, rem statim cum viro societatis communicant, qui fideli matrona interprete eam fecit sui voti compotem, adiunxit Ecclesiæ, muniuit sacramentis, & iisdem in præsentia, communit. Nobilis adolescens natione Vngarus, veritus ne à propinquis, aut amicis infidelibus iterum inficeretur hæresi, à qua se in gymnasio nostro purgauerat, virum societatis adit, cōsultat utrum probe Romæ petendæ consilium. quærit ille quis sit necessaria vitæ in itinere, aut in vrbe supeditaturus. Deus, inquit, cuius causa iter arripio, & fugio patriam domesticis commodis affluentem. Subiunxit noster; at etiam hereditate priuaberis; terrena priuent licet, inquit, sic mihi magis obligabunt Cælestem. iuit cum Legato Transyluaniæ. à summo Pontifice benignissime exceptus, & collocatus est in Collegio Germanico. A communione sub  
vtraque



intraque specie dimoti nonnulli, Otomucij sexaginta, Praga quatuor & triginta, Graci nouem. ibi vocante Deo Cęlesti doctrina, atq; fonte lustratus est Turca adolescens, magna pompa in templo nostro Archiducissa, & filio Maximiliano excipientibus.

### Scholę. Congregationes.

Comotouium scholas fecit quasi ę priuatis publicas. celebrata primum innouatio studiorum summa pompa, nobilitatis vniuersa concursu. iuuentus in quatuor distributa classes. omnia pręmia tulerunt qui sunt ę conubernio pauperum. literę siquidem in solo voluptario non admodum excrescunt. Discipulos Vienna mille numerat, ducentos quinquaginta Cromlouium. Ex his vnus rationibus picit hereticum, qui cum victoriam arti sophistica tribueret; prouocare ausus est ad emetiendam nudatis pedibus viam stratam accensis carbonibus, & corporis integritate religionis veritatem distinguendam. deterre- re fortasse voluit adolescentem, sed is conditionem amplexus, serio se ad nouum disputationis genus oratione, & sacramentis diligentissime comparat. certo tempore maximo concursu mortalium descendit in arenam, in qua inanis iactator suę causę diffidens apparere non est ausus. Retulit Catholicus Deo, suęque  
I reli-



religioni summam laudem, & sibi honorificū sine pugna triumphum. Ex eorundem discipulorum quasi floribus sodalitium collectum, & Virgini Deiparæ dicatum. Institutum, & aliud Brunæ ex opificibus fere Italis sub nomine Virginis Annunciatæ, & primario Romano connexum. Aliud in Collegio Viennensi ex iunioribus adolescentibus; graniores vero, quibus fuit paulo ante adhibendum calcæ, ita excitati sunt ut fræno naigeant, ne corpus opprimant veberibus, cilitis, & ieiunijs diuturnioribus, solo pane, & aqua susceptis.

### Progressus ædificiorum, & collegiorum.

**B**Runense tyrocinium auctum est nouo prædio. Pragense collegiū proximis ædibus, quas nobis gratiores fecit modestissima priorum inquilinorum vicinitas. Thurocy excitata à fundamentis scholæ tres, ex ædificata nonnulla cubicula, & hypocausta. Comotouij scholæ quatuor. vrgentur ceteræ summa fundatoris beneuolentia, ac liberalitate. Ille fundatū à se collegium solemnī pompa Academiæ titulo, atque priuilegijs insigniuit, impetrauitque ab Imperatore rarum, & illustre diploma, cui nomen vulgo facit aurea bulla, que  
pendet



pendet, hoc ferme modo xvij. kal. Iulias Pra-  
ga in templo Societatis praesente Hispano ora-  
tore, & primoribus regni, atq; aklæ Cæsareg  
dynastis Patriarcha Alexandrinus, Apo-  
stolicæ sedis nuncius actionem à re Diuina au-  
spicatus est. ea facta fundator per oratorem  
exposuit suum de Societate iudicium, suam  
voluntatem in nostros, suum de Collegio fun-  
dando, firmando, atque exornando consilium;  
quidque ab eo speret utilitatis Ciuitati, atq;  
regno vniuerso. tum diploma porrexit in ma-  
nus Patris prouincialis, pater Prouincialis  
accommodata oratione ad vniuersa respondit,  
gratias egit, ac diploma Comotouienti Reçtori  
tradidit. Reçtor fundatori de more Societatis  
cereum ardentem in signum foundationis acce-  
pta, ac eius pro fundatore habiti obtulit, at-  
que fælix faustumque precatus illi, praesenti-  
bus, toti regno actionem clausit plaudente  
symphonia, & populo.

### Missiones.

**M**issio Vratislaviensis eundem tenet cur-  
sum laboris, & fructus. abduxit ab  
heresi duos & viginti. Ex omnibus locis va-  
riae factæ excursionis, Vienna in Vngariam  
quatuor circiter mensium spatio rogatu pro-  
regis. Habitæ conciones in præcipuis regni ci-  
uitatibus, & duobus mensibus in ipso Comi-



ziorum loco magna omnium ordinū, & ipsa-  
 rum etiam inimicorum approbatione. ex qui-  
 bus sex Principes viri fidei Romanæ subscri-  
 pserunt. per Pragenses in proximo pago Co-  
 motouiensis fundatoris capita triginta reli-  
 querunt hæresim, & communionem sub vtra-  
 que specie. Græcio, vnde hinc castra sequuntur  
 Marchionis Austriaci contra Turchas, itū  
 in vicinas villas. Item Crumlouia. ab his do-  
 cendi fuerunt sacerdotes formam absolutio-  
 nis, & reuocatum verum pensum horarum,  
 vesperarum, quas in duos psalmos cum ora-  
 tione, ceteris omnibus mutilatis coarctave-  
 rant. extorta à centenario hæresis, & bina  
 species, à capitibus circiter triginta. Thuro-  
 cio, atque Olomucio lustrati nostri, vicinque  
 pagi, vbi tantus paganorum animi candor, vt  
 publicè in Ecclesia peccata detegant, atq; si-  
 li ignosci deposcant. In nostro Scilliensi oppi-  
 do impetranda pace ab inimico, ereptus qui-  
 dam iuuenis est à mortis supplicio. & ortho-  
 doxa explicatione Euangelij, decrepita archi-  
 tecti vxor erepta è faucibus inferi, in quas à  
 pueritia suis eam Lutherus nexibus abstraxe-  
 rat. Noster sacerdos profecutus Vespri sien-  
 sem Episcopum, in parentis arcem Vngaricam  
 reduxit ad viam salutis matrem ipsius, qua  
 viginti annis nescia quid crederet varijs vsa  
 ministris errauerat; nec non & eius cōsangui-  
 nem, qui eo erat difficilior, quo sibi intelligē-  
 sior



tior esse videbatur & literatior. In comitatu  
 Liprouiensi, malo loco pagi nostri res erant pa-  
 gani omnes hæretici sub eiusdem farinae lupi  
 magis, quàm pastore. neque sermonem audire  
 volebant catholici Parochi, in eius perditissi-  
 mi locum subrogandi. Auditum est ministrum  
 illum totum esse in datis & acceptis, in vendi-  
 tionibus, & emptionibus, eo quod rem frumē-  
 tariam, & pecuariam exercebat. concionan-  
 di, sui que muneris præstandi tempore vel abe-  
 rat, vel ita aliorum negotiorum occupationi-  
 bus detinebatur, vt reputari pro absentis pos-  
 set. Rector vsus occasione hominem accersit,  
 enumerat hæc omnia, & graui oratione negli-  
 gentiam arguit. nesciebat miser quid respon-  
 deret, vera erant quæ obhieiebantur, prouoca-  
 re non poterat ad paganos, quorū Rector age-  
 bat causam; neq; exclamare id fieri aut odio;  
 aut causa religionis. quare fatetur errorem,  
 deprecatur culpam. mercaturæ causam affert  
 suam tenuitatem, qua etiam impediri se asse-  
 rit, quò minus alere vicarium possit. præfert  
 Rector misericordiam; & pro summa libera-  
 litate Vicarium se Collegij sumptibus subro-  
 gaturū promittit. agit ille gratias maximas,  
 se tantæ liberalitati deuinctissimum ostendit;  
 & se ratus imposuisse Rectori gaudio cumu-  
 latisimus abijt; quippe qui ab omni prope la-  
 bore, atque cura ad sua negotia futurus esset  
 expeditior. Rector statim eo misit sacerdotem



tatis, qui capellanum indutus, libentissimo ministro totam omnino curam animarum suscepit. obseruarunt statim rustici omnes magnam vtriusque diuersitatem in consuetudine, atque moribus, ministri impuritas, auaritia, ebrietas, scelerum colluies, hunc reddidit multo admirabiliorem. Cōtra verò huius charitas, prudentia, ceteræque virtutes ita fecerunt ministrum exosum, vt prodire non posset in publicum, & paucis post diebus obduratus in hæresi moretur. quare consentiente populo sibi noster totius parochiæ curam vindicauit. domo exegit Dominam parocham præteriti ministri coniugem cum liberis; se Iesuitam aperuit, reuocauit vexilla crucis, aquam lustralem, sacramenta, ac ne singula commemorem, quæ plurima sunt, ipsam Ecclesiam, quæ dudum ex eo loco exulauerat. ex quo statim plures quingentis in pristinam filiorum Dei libertatem vindicauit. Diabolus, tam prosperos conatus ægre tulit. vsus solitis artibus, & ministris vt eos euerteret. subornant elegantes puellas, vt aditu sibi factò per speciem pietatis ad Patrem itando, salutâdo, munusculis, lenocinio verborum eum alliciant, & sibi plus æquo deuinciant. non successit, quia pater vbi intellexit blanditijs earum subesse venenum, ita male multatas domum remisit, vt amorẽ omnino ex earum animis excusserit. quando ministri insidias irritas vident,



dent, spargunt toto Liptouiensi comitatu ru-  
 mores: irrepisse in suos fines Iesuitam, qui  
 omnia permutet, perturbet, & nisi quàm ocys-  
 sime expellatur è finibus, profligaturus om-  
 nino sit eorum euangelium. Comes hereticorū  
 omnium patronus diligentissimus continuo pa-  
 trem nostrum accersiri iubet. quærit quo mo-  
 do sit fines Liptouienses ingressus. pater, qui  
 nouerat ingenium comitis, non modo sine ti-  
 more, sed quandam alacritatem, atque festiui-  
 tatem præferens respondet, curru vectus in-  
 traui. quæro, inquit, à quibus missus. ait à su-  
 perioribus meis. ait ille, quando? statim atq;  
 iusserunt; quam diu moraberis? donec ydeme  
 reuocent. delectatus comes libertate, ac suau-  
 tate sermonis Patrem lauto epulo excepit, &  
 à se summa comitate dimisit frementibus hæ-  
 reticis, quòd nihil neque blanditijs, neque ter-  
 roribus proficeret. iram qua ratione possunt,  
 effundunt, sexcenta in eum mendacia pro sug-  
 gestu cõgerunt, & omnibus probris, atque ma-  
 ledictis proscindunt. re pater intellecta pro-  
 xima concione cuiusdam ex ijs templum in-  
 greditur tacitus, & obseruat multa, quæ pu-  
 gnantia per summam inscitiam contra Christi  
 in Eucharistia præsentiam euomit. Exempli  
 gratia affirmavit initio Christum in Cælum  
 ascendisse terris relictis, tum media concione  
 probauit Christi corpus esse vbique locorum.  
 vix finem dicendi fecerat; cum pater exurgens



modestissime postulât a præsertibus nobilibus, ut faciant vel nonnulla querendi à parocho, vel cum eo disputandi potestatem. ut sunt ad res novas proni mortales, facillime impetrat, cum præsertim ipse concionator audaciâ præferens alacriter annueret. Quærit igitur primo pater, num Christi corpus in Cælo fuerit antequam eo ascenderet, aut postquam ascendit, in terra remanserit. negat utrumque, & audacter, & irridendo utrumque se etiam in suggestu negasse confirmat. tum pater statim infert, ergo Christi corpus non fuit ubique, ut falsò populum pro concione docuisti. hic subito tam aperta contrarietate fracti spiritus hominis, bërret, pallet, obmutescit, caput ad solutionem eliciendam confricat, demissis oculis, quasi responsionem huius quæreret, tam diu consistit, donec cachinnis nobilium, & sibilis uniuersi populi explosus est. conuicit eam rationem concionatorem, sed veram illationem ludi magister intellexit, qui propterea sequendam esse catholicam religionem intulit, & professus est. Acrior alibi instituta disputatio. Comes quidam arte militari, pertinacia Calvinistica, truculentia morum insignis, cum aliquando congregatiuam suam esset cum Arrianis, interfuit Calvinistis de disputatione secreto deliberantibus: animaduertit omnes diffidentes suæ causæ, nõ veritate niti, sed mendacijs, captationibus, deprauatione voluminum,



num. sortiri quodammodo quid in rebus etiam  
 grauisimis affirmant, negent, sentiāt, qui de-  
 hique statuunt fugiendum esse congressum; si  
 agimus, inquit, scripturis, Arrianis resi-  
 stere non possumus: si sanctorum patrum vta-  
 mur auxilio, prosternemus Arrianorum sen-  
 tentiam, sed illi vitisim facile alijs eorundem  
 patrum telis iugulabunt sectam nostram: Mi-  
 rum in modum offensus, atque commotus Co-  
 mes, vix manus abstinuit ab impostoribus.  
 Sed ira dissimulata ex templo in sua oppida  
 redijt, quicquid vbiq; ministrorum erat, con-  
 nocauit in arcem, ibidem sacerdotem vnum &  
 Societate conclusit; interfuit, & praesuit diu-  
 turnis, atque grauisimis disputationibus. de  
 quibus ipse sine tandem imposito hanc tulit  
 sententiam. Gratias agite immortalis Deo Re-  
 uerendi patres Iesuitae; apud vos residet anti-  
 qua, & Germana fides, illi ego me, mea que his  
 omnibus testibus in praesentia deuoueo. orate  
 Dominum, vt & praeteritos mihi errores igno-  
 scere, & suum diuinum lumen donare imme-  
 tenti dignetur. Vos praedicantes nouam reli-  
 gionem non habetis, sed effingitis quare nisi  
 ab incepto desistitis, non modo vos in ditione  
 mea non patiar, sed sumam debitam de impo-  
 sturis mihi factis ultionem. Consensere his  
 verbis caetera, quare iam vix hominem: e-  
 nies, aut in affligenda haeresi, aut in erigen-  
 veritate fortiozem. Dum nostri in spargendo  
 verbi

verbi



verbi Diuini semine publice priuatimque la-  
 borant, nouus Lutheranae sectae Messias ex-  
 urgit. Rusticus quidam, quem mæror, aut ino-  
 pia mente dimouerat, affirmat se prophetam  
 delectum à Deo, vt orbem terræ euangelicam  
 veritatem docendo obeat. Pater, qui eo loco-  
 rem Diuinam fecerat, opportune adit homi-  
 nem, reperit lineo solum indusio tectum, hu-  
 mi super nudum asserem subiecto ceruicibus  
 lapide, rigentem frigore, diuturna inedia pro-  
 pe confectum, manus instar mortui iungentem,  
 quippe qui prædicationis immemor sibi pau-  
 cas post horas è vita migrandum esse dicebat.  
 pater adhibet omnes machinas, vt vel eum,  
 vel parentes, quibus idem ille suaserat, ab ea  
 opinione dimoueat. sed re infecta discedit. In-  
 terim momento increbrescente fama certatim  
 ad eum accurritur. qui delectatus frequentia,  
 se excitat, vocem contendit, verba facit, iactat  
 scripturas, multa vaticinatur, alijs æternum  
 exitium, salutem alijs pollicetur, auditur cu-  
 pidissime, & conclamatur Vicarius Dei, pro-  
 pheta. Id vbi delirus animaduertit, nequaquam  
 sibi intra domesticos parietes vltius lati-  
 tandum putat, erumpit foras, pagos, oppida,  
 vrbes procurSAT, magna admiratione magno-  
 que concursu sua deliramenta venditat, pe-  
 netrat Comotouiam frequentissimo foro; inci-  
 dit enim in ipsum hebdomadariae nundinae diẽs;  
 ascendit in locum editum, ea dicit, quæ expe-  
 ctari



clari poterāt ab imparato, rudi, rustico, amente; nihil non fabulis, somnijs, insanie simillimum. Nihilominus tamen, quod est longe admirabilissimum, non modo auditur, probatur à plurimis, sed commendatur vt præco veritatis à Cælo demissus. vsque eò vulgus leue est, & procline ad res nouas præsertim in religione sectandas. & excitaturus fuisset non contemnendum incendium, nisi nostri occurrissent subito, & effecissent vt perditus abriperetur in carcerem.

# PROVINCIA RHENANA.

Domicilia, atque Socij.



OLLEGIIS vndecim, vna Residentia, Missionibus duabus, socij trecenti quinquaginta circiter. Treueris quatuor & sexaginta, è quibus quatuor & triginta versantur in Collegio, reliqui in Domo probationis. Moguntie quatuor, & quinquaginta. Herbipoli septem & quadraginta. Colonie quinque supra triginta. Fulde triginta. Herlinge stadij quin-